

PROLOGUS AD CARMINA.

Tristia cur timido proditis, carmina, vultu?
 Auctorum justus num pudor ora subit?
 Casta verecundo peplo cur conditis ora?
 Musarum num vos ingeniique pudet?
 Ite foras! Pudeat non patrum vos, neque formae!
 Ipse patres almo nutrit Apollo sinu.
 Ite foras! Vultus nec vos metuatis iniquos,
 Nec probrum vulgi, judicis atque minas.
 Non tamen intretis, quibus inclementia regnat,
 Livor ubi mordax invidia atque, domos.
 Ipse hic defendet frustra vos doctus Apollo,
 Frustra Pierii Musa Latina chori.
 Splendida nec regum subeatis tecta potentum; —
 Quid mando vobis? Ah, male gratus ego!
 Rex colit Augustus Musas Fridericus, et usque
 Pieridum decorat templa sacrata favens.
 Vitemberga probans testis, tu, Lipsia, Grimma;
 Testis Porta, tuum, nobilis Afra, decus.
 Huic animus quodsi vobis accedere, forti
 Ite animo, vos non spernet iniqua manus.
 Ast ubi vos criticus, crudeli cognitus arte,
 Adliciet, celeri tradite terga fugae.